

15
Q. D. B. V.

^{Ad}
ORATIONEM NATALITIAM,
^{Quæ}
SERENISSIMI PRINCIPIS AC
DOMINI,
DN. WILHELMI
ERNESTI,

DVCIS SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,
ANGARIÆ VVESTPHALIÆQVE,
LANDGRAVII THVRINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ,
COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGIÆ, COMITIS MAR-
CÆ ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ
RAVENSTEINII ETC. ETC.

devotissimo cultui consecrata est,

DIE XXX. OCTOBR. A. O. R. M D C C.

IN ÆDE ACADEMICA

INTER VOTA PVBLICA AVSCVLTANDAM

RECTOREM ACADEMIÆ MAGNIFICVM,
CÆTEROSQVE PROCERES EXCELLENTISSIMOS,

nec non

DOCTORES AC STUDIOSES NOBILISSIMOS
officose ac perhumaniter invitat

D. IOHANNES PAVLVS HEBENSTREIT,

Consiliarius Consistorialis Saxo-Isnacensis, Sacræ Theologiæ, Historiæque Ecclesiasticæ
ac Moralium Professor Ordinarius, Alumnorum Ducalium Vinar. &
Isnacensium Ephorus.

TPIS CHRISTOPHORI KREBSII.

ORATIONEM NATALITIAM,
SERENISSIMI PRINCIPIS AC
DOMINI
DON. WILHELMI
ERNESTI,

DUCCIS SAXONIAE, LITVACI, CIVIS, MONTANI,
ANGARIE VESTPHALICAE,
MAGISTRUM THURINGIAE, MARCHIONIS NEMER,
COMITIS PRINCIPIS RHEINBERGII, COMITIS MAR,
CA. ET RAVENSBERGER, DUCIS
RAVENSTEINI ETC. ETC.

IN ACADEMIA
DIE XXII OCTOB. A. M. DCC.
IN ACADEMIA
INTER VERA ERUDITA ANTIQVARI
RECTOREM ACADEMIAE MAGISTRUM
PROFESSORUM PROCURATORES FACULTATISSIMOS
DOCTORES. STUDIOSOS HONORABILISSIMOS
D. JOHANNES BAVVS HANNOVERENSIS
de Moribus Eruditi. Orationis, Praefationis, Disputationis
Praefationis, Praefationis.

Tunc CHRISTOPHOLUS HANNOVERENSIS





OElesti veritati, ante Martinum

Lutherum crassissimis tenebris demersa, nunc autem Doctorem illius ministerio operaque in apricum emergenti id magno erat praesidio, quod immortalitate dignissimi *Septemviri Saxones*, incomparabili pietate, invicta magnanimitate, & incredibili in propugnando vero constantia insignes, FRIDERICVS meritisimo suo *Sapientis* cognomento mactus, IOHANNES, & JOHANNES FRIDERICVS, illius confessoribus sese aggregarent. Certè eodem jure, quod *Nilus*, Metropolita Rhodius (a), Imperatorem Constantinum Magnum adpellavit *ισουπόστολον* (h. e. *Apostolis aequalem*), illos divini animi Heroas Saxones *ισουπόστολων* splendidissimo titulo cohonestamus. Et quod *Eusebius Pampbilus*, qui inter Ecclesiasticae historiae conditores non tam aetatis ratione, quam navatae praeclearae & diligenti operae facile primas aufert, in egregio minimeque futili, Constantini Magni vitam describente, opere (b), de illo ipso Imperatore praedicat, id omne in istos divinae virtutis Principes Saxones competere autumamus. Fuerunt & ipsi à Deo, quasi illustria quadam religiosa vita exempla, cunctis hominibus propositi, humanoque generi, ad divinum cultum instruendo, dati, & velut μέγιστοι τινες Φωσῆες καὶ κήρυκες μεγαλοφώνωτοι ἡ ἀπλανὲς θεοσεβείας h. e. tanquam maxima quadam lumina, & quasi quidam vera religionis praecones magnam voce inelamantes, designati. Quippe sub FRIDERICI auspiciis è tenebris, cum quibus luctata diu erat, caelestis prodibat doctrina, suoque splendore collustrabat Saxoniam atque perfundebat; JOHANNIS publicam & inexpugnabilem confessionem in Augustanis comitiis confirmabatur, & confirmata in universam, quacunque patet, Europam evulgabatur; ac JOHANNIS FRIDERICI stupendam, & ne ultimo quidem mortis periculo, bonorumque omnium impendente naufragio infractam conservabatur. FRIDERICVS enim, excujus sumptibus liberaliter suppeditatis ille à Deo missus veritatis aeternae vindex & repurgator errorum felicissimus, Lutherus, anno MDXII. ac decimo tertio quidem Octobris die in Wittebergensi academia Doctoris Theologi gradum nuperius capessiverat, nullis persuasionibus, nullis minis (quas adjectare ferè, cum fictae blanditiae procedunt parum, soliti sunt Pontificii) permoveri poterat, ut Lutheri, nequitiam Antichristi oppugnantis, impetum comprimeret, ac veritatis, Doctoris illius operam in Saxonici provinciae primùm emicantis, cursum sufflaminaret, nec opem suam evehendae religioni puriori, quae jacuerat hactenus Pontificis tyrannide penitus prostrata, amplius impen-

* *

(a) in *Synoptica de sanctis & aecumenicis synodis enarratione*, quam in Bibliotheca Juris Canonici veteris, Lutetiae Parisiorum ann. 1661. edita, pag. 1155. seqq. vide. (b) cap. III. & IV.

impendere t. Non malè Cardinalis *Sfortia Pallavicinus* (c) de Electore illo Saxone scribit : *Èd palàm is processerat, ut in damnando Lutero se ipsum unà damnaturus videretur.* Suum enim symbolum (d) : *Crux Christi nostra Salus*, animo subinde revolvens, t otà mentis contentione omne averfabatur commentum, quod Christi merito quicq uam derogaret, dogma verò Apostolicum amabat impensè, quod salutem hominum à solo isthoc pendere merito moneret. Ac *Georgius Spalatinus* constantem Principis indolem, cujus quàm optumè gnarus erat, verè ac nervosè describit, cum in vita ejus (e) ait : *Eà Fridericus animi magnitudine erat & firmitate, ut in re, quæ justa & honesta erat, à consilio semel rectè capto nullo modo dimoveri se pateretur, sed muri abene i instar resisteret.* Sic & virtutem Principis divinam, ardentem scilicet & Apostoli cum religionis Zelum, debitis effert laudibus *Christophorus Scheurlinus*, Norimbergen sis, quando in oratione quadam, Bononiæ anno 1505. in laudem Germaniæ & Ducum Saxonie habità, *Fridericum* Saxonem *fortissimum rerum ecclesiasticarum bonorūque divini procuratorem & defensorem acerrimum* nuncupat (f). Ipse ille Princeps suum in honestatem & veritatis vindices amorem in quadam ad Erasmi epistolam responsione ann. 1519. manifestò testatur indicio, *Quod hæc teneo, in quibus nostris degit Lutherus, non tam homini, quàm cause delictus, nihil minus unquam conati, quàm ut dignos præmiis pœna premeret : Neque Deo omnipotente juvante commitemus, ut nostrà culpâ innocens quispiam sua quarentium impietati dedatur* (g). Confirmaverat hunc *Friderici* animum ipse Imperator *Maximilianus*, juxta mitissimus ac prudentissimus Princeps, quando Electorem illum per *Degobardum Pffeffingerum*, consiliarium Saxonicum, discretè admonebat, ut Lutherum monachum tutaretur beneque tractaret, cum brevi fortè opera ejus valdè necessaria futura sit contra injurias & conatus Romanensium (h). Hinc FRIDERICVS Pontificis Legato *Cajetano*, ut Lutherus tanquam manifestè hæreticus deseratur, petenti respondit, esse excellentes plurium universitatum Doctores, qui dogmata Lutheri valdè probent, seque academiam suam viro tam docto, & qui ejus maximum esset ornamentum, non esse privaturum (i). Quin imò nec Militium, intimum Pontificis cubicularium, ut rosæ aureæ, quartò die Dominicò quadragenalis jejunii consecrata, oblatò munere ipsum à Lutheri tutela revocaret, ablegatum benignè ac honorificè excepit : Nec enim Legatus ille poterat obtinere, ut suâ manu solennique ritu rosam septemviro offerret, sed impetrabat solum, ut munusculum alteri traderet, qui Ducis nomine acciperet. Nimirum, ut ipse judicat *Pallavicinus* (k), factum id est à Saxone, *ut ne videretur donum illud magnipendere, cui gratiam rependere recusabat.* Neque verò horribili illo ac tremendò planè Wormatiensis decreti carmine conterreret sese, & à suo Apostolico cœlestis doctrinæ latius propagandæ instituto dimoveri patiebatur, etsi tunc universa propè reformationis res occisa & interfecta, ac non tantum non triumphata adversariis videretur. Statuerat Cæsar in illo decreto ann. 1521. conditò, dogmata impia Lutherum nunc aliquot annis divulgasse, nil aliud ipsius libros, quàm seditiones, bella, discordias, incendia, cædes atque rapinas spirare, neque immanitatem ejus ac rabiem ullâ oratione satis posse explicari, nec hominem esse, qui adeò contra universam disciplinæ Christianæ rem furat, omnesque hæreses retrò damnatas resuscitet, sed demonem potius humanâ specie indutum, & evertendæ omnium pietatis causâ in orbem terrarum immissum; hincque omnibus, gravi denunciata

(c) in *Historia Concilii Tridentini*, Libr. I. cap. XIII. §. I. (d) Vid. nobilissimus *Annalium Saxoniorum* conditor, Dn. *Job. Sebastianus Mullerus*, ad ann. 1525. fol. 78. (e) Confer. *Seckend. Commentar. de Lutheranismò* Libr. I. pag. 22. (f) Vid. *Seckend. loc. cit. pag. 56.* (g) Vid. *Luth. Tom. I. Altenburg. fol. 224.* (h) Vid. *VVolfius* in *Lectio. memor.* Tom. II. pag. 114. Confer. *Seckendorff. loc. cit. Libr. I. pag. 42.* (i) *Seckend. loc. cit. 52.* (k) *loc. cit. §. 5.*

pana, edixerat, ut ipsum pro schismatis auctore, pro manifesto ac pertinaci hæretico haberent; & post XXI. dies, quos ad reditum ex Wormatiensibus comitiis ei concederent, quisque daret operam, ut illum caperet, & captum potestati Imperatoris traderet; ac tandem omnes, qui quocunque modo faverent aut operam ei suam communicarent, æquè proscriberat (1). Sed verò edictum istud ex instinctu pariter ac suggestionem infensissimi veritatis hostis *Hieronymi Aleandri*, Archiepiscopi Brundusini, Nuntii ad Cæsarem Carolum V. Pontificii, cui, narrante *Pallavicinò* (m), *tota sollicitudo nascentis hæresis evellendæ* innitebatur, immani impetu conflatum (n), *Apostolicum* FRIDERICI animum percellere ac turbare haud valebat, quin è nobilitate nonnullis, de quorum fide compertum habebat, negotium daret, ut proscriptum Lutherum in locum, quendam secretiorem & ab hominum frequentia remotum, vitandi causa periculi, deducerent (o). Quò atrocius autem immanis adversariorum libido in prodeuntem è tenebris veritatem debacchata est, hoc magis *ισωπορόλων* Saxonum incredibilis constantia increvit. Nunquam profectò Electoris IOHANNIS generosam mentem & invictam illam asserendæ veritatis voluntatem, quam non nisi Deus aspiraverat, altiori mentis æstimatione pensito, quin hæream tacitus, & quodam defigar stupore. Imperator maximus, tot regnis atque victoriis formidandus, & universum propè Germaniæ robur, totque externi Principes ac Reges, iique longè potentissimi, contra cœlestis veritatis doctrinam, Lutheri studiò post diuturnas tenebras, quæ universum Christianum orbem obruerant hætenus, in apicem productam consistebant. Constabat & Electori de fœdere illo, quod Pontifex & Cæsar in Bononiensi congressu de Protestantibus, seu (quo præclaro nomine confessores veritatis designabantur) *hæreticis* ferrò ac armis excindendis percusserant (p). Facile autem prævidebat Elector, ad profligandam injustam vim, si quæ inferretur in Augustanis comitiis, ad quæ humanissimis & longè optimam spem præ se ferentibus literis ab Imperatore evocabantur, non satis sibi præsidii adfuturum. Hinc magna ipsi deliberatio incidit, eundumne Augustam Vindelicorum, & periclitanda clementia Cæsaris, an, ut multi *Θρησούδελοι* svadebant, Imperatori, antequam Alpium juga superasset, vis opponenda esset (q). Attamen Septemvir JOHANNES, cum cœlestem opem sibi causam Dei agenti non defore crederet, ac, si vel maximè quid accideret humanitus, hoc esse pulcherrimum mortis genus pro Deo ac veritate animam ponere, sibi persuaderet, nihil planè adversus Cæsarem moliebatur, sed, *Philippo* etiam Hassiæ Landgravio iter dissuadente, aut certè moram interponendam statuente (r), interritus ad frequentissima illa totoque orbe celeberrima Augustana comitia profectus, quod nemo hostium futurum putaverat, omnium primus Augustæ aderat, Deo & Cæsari fidem suam probaturus. Cumque adversarii, doctrinam nostram in summum odium adducturi, hætenus vulgassent passim, nihil tam blasphemum ac impium aut Manichæos, aut Arrianos, aut quosvis alios pessimorum hæreticorum commentos esse, quod non novitia Lutheri secta assereret, & velut ab inferis revocans, tantum non pro oraculis simplicioribus obruderet, veræ religionis Apostolicò studiò accensus JOHANNES, ut impudentissimum os calumniatoribus istis obstrueret, simulatque Augustam pervenerat, iis, qui sibi à concionibus erant, in mandatis dedit, ut incorruptam Apostolorum doctrinam publicis & intrepidis sermonibus in amplo Prædicatorum monasterio, aliisque templis Augustanis populo traderent. Inprimis generosæ ac piissimæ indolis magnanimitas omnibus conspicienda emicabat in JOHANNE, postquam confessio nostra, seu fidei nostræ

forma

(1) Vid. *Sleidanus* in commentar. de statu relig. Libr. III. p. m. 66. seq. (m) loc. cit. cap. XXIII. §. 2. (n) Vid. *Pallavicinus* l. c. cap. XXV. & cap. XXXVIII. §. 7. (o) *Sleidan.* loc. cit. p. m. 167. (p) Vid. *Georgius Cælestinus* in *Histor. Comit. Augustan.* fol. 19. b. (q) Vid. *Cælestinus* ibid. (r) Vid. *Seckend.* comment. de Luther. Lib. II. sect. 21. §. LVI. Addit. I.

Forma publicè, presentibus Imperatore Carolò, Rege Ferdinandò Fratrem, & ceteris Imperii Proceribus ac Delegatis, qui magno numero aderant, de scripto recitata erat. Interminabatur Electori Cæsar, nisi maturè saperet, & cum Romana Ecclesia rediret in gratiam, fore, ut ditionis suæ inaugurationem, quam petebat, non impetraret (s). Atqui tantum aberat, ut tot tantisque rebus, quæ facillè fortissimo cuique incutere timorem poterant, magnanimus Princeps moveretur, ut inde potius alacriores majoresque spiritus sumeret, eò securus magis, quò magis humanis præfidiis destitutus videretur. Namque in solâ divinâ ope spem omnem ponebat, cedere bonis & ipsam profundere vitam paratus, si veritatem tueri aliter non liceret. Sic igitur verè *ισωπόρολος* erat, potiori certè jure, quàm ipse Constantinus Magnus, *Apostolis æqualis* nominandus. Radiabat in eo, inque omnium piorum exemplum clarissimò jubare lucebat heroica & divina ipsorum *Apostolorum* martyrumque *constantia*, quæ, ut facundissimus, ac *Bæclerò* (t) iudice tum propter Theologiæ universalis disciplinam, tum propter *Moralia* diligenter legendus scriptor, *Lactantius* (u) scitè docet, non inflamat mentes, ut *inferentibus injuriam resistamus*, sed pios animos munit, ut, cum veritatis hostes facere quid contra Dei legem, contraque justitiam jubent, *nullis minis aut suppliciis terreantur, quò minus Dei jussionem hominis jussioni præferant*. Fulgebat in isto *ισωπόρολος* Principe ea Apostolorum constantia, quæ, cum reverendus quidam Pater in senatu imperii nullum dixisset sibi consilium *videri utilius, quàm si ad confessionem, quàm Protestantes exhibuissent atramentò scriptam, sanguine rescriberetur* (x), idque consilium aliis quoque allubesceret, mortem contemnere docebat, non ut ipse adpeteret eam ultroque sibi arcesseret, (quod est sceleratum ac nefarium, utut à Philosophis maximis sapius factum), sed ut coactus Deum relinquere ac prodere fidem, mortem suscipere, mallet, libertatemque defenderet adversus impotentium stultam vecordemque violentiam, & omnes seculi minas atque terrores fortitudine animi provocaret. Sic itaque JOHANNES ille *Constans* & *ισωπόρολος* ea, quæ alii timent, excelsâ & insuperabili mente dolore mortemque calcabat. Hæc erat virtus, hæc vera constantia in hoc solo, ut loquitur *Lactantius* (y), occupata, *ut nullus nos terror, nulla vis à Deo possit avertere*. Tunc & idem Princeps verè erat *ισωπόρολος*, quòd æquè, ut Apostoli (z), esset organon Dei ad id, ut Christi gloriam inter crassissimas temporum illorum tenebras illustraret, ejusque nomen coram gentibus regibusque portaret, delectum atque destinatum. Eòdem enim professionis publicæ negotiò cœlestem de Christi meritò, & salute per unum illud obtinendâ doctrinam, Apostolorum more in universum orbem evulgabat. Etsi enim in Augustanis comitiis Protestantibus, inter quos primatum tenebat JOHANNES, interdiceretur opere maximo, ne quæ descriptus typis prælectæ confessionis libellus in manus hominum emitteretur, tamen cum eundem Cæsar ad præcipuos Reges ac Principes Christiani orbis perferendum curaret, captandi consilii causâ, ecquid de eo faciendum aut statuendum videretur, Legati quoque ac Oratores, qui in comitiis istis aderant, in suam quisque linguam describerent, factum est, ut non Germaniæ tantum, aut uni ac alteri vicinorum regnorum innotesceret veritas, sed per universum prope Europæ latus velocissimò ferretur cursu, nusquam penè, nec ibi quidem, ubi idololatriæ Romanæ mysterium cummaximè vigere putatur, pedem figens, ubi non aliquos saltem admiratores sui inveniret. Cæterum fortitudo illa atque constantia, illa in propugnandâ veritate magnanimitas, quæ hæctenus ad miraculum usque in JOHANNES Septemviro effulserat, in Duce JOHANNES FRIDERICO, qui jam in dignitatis Electoralis culmen adscenderat mortuò Patre *Jobanne*, eas vires, eaque incrementa capiebat, inque tantum augebatur, ut maligna aut timida ingenia obstinationem ferè & pervicaciam interpretarentur. Cum enim immanissimi veritatis hostes horrendum in morum fremerent,

nec

(s) Vid. *Calesinus* in Hist. Comit. Aug. Tom. II. fol. 243. a. b. (t) in *commentatione de scriptoribus Græcis & Latinis*, pag. 65. 66. (u) *Divinarum Institutionum* Libr. VI. cap. XVII. (x) Vid. *Apologia August. Confess.* p. m. 143. (y) *ibid.* (z) *Actor.* IX, 15.


nec omnes saltem claustrorum greges, quorum præcipua vis in ventre & lingua clamosa maxime posita est, in cœlestis veritatis doctrinam insurgerent, sed & quicquid sceptrorum ac potestatum per universam Europam penè eminent, eidem sese opponeret, in bonum ipse vertebat omen, quòd tot hostes essent irati, omnemque calliditatem & solertiam, omnes machinas ad debellandam & supprimendam eam adhiberent. Veritas enim, cum undique oppugnatur furore maximò, vires suas, quæ antè dispersæ erant, cogit undique, & quanta est, totam se exerit; nec illustrior unquam adparet, quàm ubi per pugnas & prælia, ac ipsas medias strages veluti erumpendum est. Cumque ob fœdus Smalcaldicum, pro tuendâ adversus conjurata Pontificiorum agmina religione, factum, arduo ac perdifficili bello implicitus, in prælio ad Mühlbergam in manus Cæsaris venisset, sperabat benè, cum nihil propè sperandum esset. Imperatoris sententiam, quæ capitis pœnam in Wittebergensi campo, inque altiori eam in rem exstructo theatro infligendam dictitabat, securò & interritò animò exaudiebat, mortem pro cœlesti veritate oppetere, non tam pœnam, quàm præmium statuendum ratus, quidpe quòd non avellat à Deo, sed arctius, arctiusque cum eo jungat: Tantum enim abest, ut animus ejus promulgatò isthòc decretò frangeretur, ut ipse ne lusus quidem, quem cum *Ernesto* Luneburgensium Duce auspiciatus fuerat, cursum sisti eò sineret, sed, *Pergamus*, inquam, collusorem principem bonò esse animò juberet (a). Elucet ex interritò hòc & constanti Electoris animò insignis morum honestas vel ipsò *Senecâ* iudice, quidpe qui in moralis Philosophiæ libris, quos *Lactantius* citat (b), dixisse fertur, *hunc esse illum hominem honestum, non apice purpurave, non licitorum insignem ministerio, sed nulla re minorem, qui, cum mortem in vicinia videt, non sic perturbatur, tanquam rem novam viderit, qui, sive toto corpore tormenta patienda sunt, sive flamma ore recipienda est, sive extendenda per patibulum manus, non querit, quid patiat, sed quàm benè.* Inprimis magnitudinis animi verè Apostolicæ, ac ne per iniquissimam quidem fortunam infractæ specimen dabat, quando captus jam, atque in veritatis hostium potestatem redactus articulos quosdam, pactioni in castris prope Wittebergam factæ insertos, constanter repudiabat, pro cœlesti veritate ultima se experturum professus (c). Quæ incredibilis constantia Cæsarem movit, ut articulos istos magnanimo Electori adeò graves minimeque tolerandos deleri expungique juberet. Quin imò cum Pontificii apertò hætenus grassati Marte, jamque omnem impotentissimæ iræ vim, omne sævitia venenum evomentes, nunc Imperatoris auctoritate, nunc minis variis, nunc pollicitationum simulatis blanditiis Electorem, jam anni spatium in captivitate asservatum, ad amplectendum librum *Interim*, versiculò illò:

Impia nunc tento & Romanos inveho mores,

à nonnemine exactè delineatum percellere anniterentur, ipse, damnatò prorsus libellò istò, ad defectionem istiusmodi nullâ vi, nullâ arte abripi se patiebatur, etsi arctiorem sibi custodiam subeundam non ignoraret. Sæviebat igitur impius furor majori longè impetu, & totis viribus incumbere veritati: Ipse verò, cum se totum permisisset Deo, securus, hilaris, & imperterritus stabat, veritati ac religionis integritati adhæsurus perpetuò, si vel maximè orbis illaberetur. Sic justus erat, & Apostolorum nitebat sanctitate, quando ex *Ciceronis* sententia, quam laudat *Lactantius* (d), *nemo justus potest esse, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet.* Hæc enim omnia *ἰσχυροί* Princeps nequicquam metuebat. Quemadmodum verò omnes illi *ἰσχυροί* Electores Saxones, quorum incredibilem constantiam, fremente licet Satanâ orbi notam, ac in omnium piorum exemplum decantatam hucusque explicavi, *Serenissima* LINEÆ ERNESTINÆ Principes erant: Ita virtus eadem *Ducibus Saxonie SERENISSIMIS*, ex præminentissima & antiquissima Septemvirorum Lineæ illius Saxonum familiâ ortis, adeò insita quasi naturâ est, & indivulso nexu ad immortalem Celsissimæ Domus gloriam hæret, ut nullum inde à reformationis tempore nominare possis profapia istius Principem, qui quibuscunque objectis illecebris ac propositis AntiChristi lenociniis ad superstitionum Pontificiarum ludibria revolvi poterit.

(a) Vid. Amplissimus Dn. *Mullerus* in *Annal. Saxon.* ad ann. 1547. fol. 107. (b) *Instit. Divin. Libr. VI. cap. XVII.* (c) Vid. Dn. *Mulleri* *Annal. Saxon.* ad ann. 1548. fol. 112. (d) loc. cit.

xit. Eiusdem heroicæ virtutis robore contra regni tenebrarum blanditias, insidias, machinas, verordemque violentiam Divina armavit Providentia inclutum Serenissimæ ac Gloriosissimæ Ernestinæ gentis Saxonica Principem, illis immortalis gloriæ majoribus, Septemviris Potentissimis IOHANNE & IOHANNNE FRIDERICO, præcelsò & auspiciatissimò partu ortum, SERENISSIMVM PRINCIPEM ac DOMINVM, DOMINVM WILHELMVM ERNESTVM, *Saxonia, Iuliaci, Clivia, Montium, Angaria, Westphaliaeque Ducem &c. &c.* DOMINVM ac NVTRITIVM meum Clementissimum. Quod de Constantino Magno prædicavit olim *Eusebius*, quodque & nos in tres illos Saxonica Electores, FRIDERICVM, IOHANNEM, & IOHANNEM FRIDERICVM competere, liquidissimis argumentis hucusque docuimus, id *Duci* quoque *Serenissimo*, WILHELMO ERNESTO, jure meritoque citra ambitionem & adulationem Christianus orbis attribuit. Nimirum & ipse cunctis hominibus à Deo propositus est *ὡς ἐναγὴς ἀσκήσεια θεοσεβῆς βίη* (h. e. quasi illustre quoddam religiosæ vitæ exemplum), *humanoque generi ad divinum cultum instruendo concessus*. Ipsum quoque, innumeris in eum congestis bonis, immortale Numen *ὡς μέγιστον τῶν Φωσφῶν* (h. e. velut jubar quoddam clarissimum) designavit. Cum enim Princeps Maximus universam publicæ felicitatis spem à PIETATE pendere credat, atque nec domi nec foris, ubi negligitur Deus, prosperè aliquid geri, sed, postquam Numinis reverentia excessit animis, summa imis confundi existimet, veritatis cœlestis, quidpe quæ *Pietati* sinceræ & impertitur nascendi vim & subsistendi aspirat robur, tuendæ ac propagandæ ardore summo, æquè ut majores magnanimi, uberrimè excellit. Veritatis illius professionem omni purpuræ, omnibus sceptris ac fascibus, omni exercituum fortissimorum apparatui anteponebat, atque hinc, quò major in ipso & abundantior pietas est, virtutum omnium parens æquè, ac basis seu fundamentum, hòc uberius circa ipsum virtutum omnium jubar splendet. Quocirca cum purioris Ecclesiæ, quæ nunc non fraudibus modò variis hæreticorum ac dolis, velut quibusdam cuniculis, undique suffoditur, verum etiam professa vi & aperto Marte circumquaque impetitur ac oppugnatur, quàm maximè intersit, ut magnanimorum piorumque Principum *Constantia* in aliorum exempla debitis laudibus extollatur, ac pro eorum incolumitate publica vota nuncupentur, nullam efferendæ SERENISSIMI WILHELMI ERNESTI pietatis, ac votorum pro ipsius salute concipiendorum occasionem negligo. Quando igitur secundum illius, quâ nunc utimur, æræ supputationem crastinus dies sit PRINCIPIS OPTIMI natalitius, eundem solennem festumque reddere, ac oratione quadam in academia ore recitatâ, publicisque nuncupatis votis prosequi ac colere, idque instituti, quamdiu inter homines ero, & hæc vescaur aurâ, velut anniversarium sacrum, sive per me, sive per alios curæ meæ commissos, certo ritu ac ceremonia peragendum, tenere animum induxi. *Piissimus* equidem ac *gloriosissimus* PRINCEPS dudum spernere terrena ex cœlesti igne didicit, deque iis triumphum egit, nullius rei, quàm cœlestis coronæ gloriæque cupidus, nec laudem apud homines, sed apud Deum quærens; attamen, ut ipse beneficus mihi ac salutaris est, ita pium me esse sinet, ut reflectam ignem, quem ex ejus SERENITATE perstrictus hausi. Vos, *Rector Academiae Magnifice*, Patres *Conscripti excellentissimi*, *Doctores* ac *Studiosi Nobilissimi*, qui summorum illorum beneficiorum, quæ *Clementissimus* NVTRITOR in Vos, inque universam Ecclesiam ac literariam remp. quotidie dispensat, haud estis memores, Vestrum esse existimabitis, crastinæ diei horâ IX. in ædem academicam convenire haud tantum, sed & attentum ac religiosum adferre animum, atque immortalem Deum publicis votis, quàm devotissimè fieri potest, venerari, ut SERENISSIMVM DVCEM WILHELMVM ERNESTVM, verissimum illud seculi ornamentum, fortissimum academia nostræ præsidium, maximum Ecclesiæ purioris ornamentum, constantissimum aternæ veritatis vindicem, incolumem omnique felicitate florentissimum quàm diutissimè præstet. Licet igitur causa non sit, ut ad celebranda ea, quæ crastinâ luce adornabo, sacra Vos pietatis in principem studiôjam accensos operosius invitem, omnibus tamen, qui instantem panegyrim suâ honestabunt præsentia, quæcunque officia quovis tempore exhibenda polliceor. P. P. in academia Jenensi, d. XXIX. Octobr. A. O. R. MDC C.



15

Q. D. B. V.

ORATIONEM NATALITIAM,
^{Ad}
SERENISSIMI PRINCIPIS AC

DN. V. ELMI
ER I,

DVCIS SAXONIAE, MONTIVM,
ANGARIE, EQVE,
LANDGRAVII THURONIS MISNIAE,
COMITIS MARCHOMITIS MAR-
CAE ET RAEDYASTAE
RAVE TC.

DIE XXX
IN
INTER V
ANDAM

RECTOREM MAGNIFICVM,
CAETEROSQVE LENTISSIMOS,

DOCTORES ABILISSIMOS
D. IOHANNI ENSTREIT,
Confiliarius Consistorialis S. Historiaeque Ecclesiasticae
ac Moralium Profef. calium Vinar. &

TPIS CHRISTOPHORI KREBSII.



15

